

oportunitate captata poteritis elucidatam remittere, ad omnipotentis dei gloriam vestrarumque facultatum et professionum honorem et debitum gratitudinem et complacenciam erga vos etiam iugiter et perhenniter promerendam, semper et sane in domino valentes et veritatem profitentes. Ex castro nostro Gebich decima ianuarii anno .xc. xl octavo.

5

101.

*Schreiben der Doktoren der Theologie und Jurisprudenz an den Bischof von Merseburg in Angelegenheiten der Wilsnacker Kirche und Antwort des Bischofs darauf an den Rektor der Universität.* [1448.]

*Hdschr.: Universitätsbibliothek Leipzig Cod. mscpt. No. 176 fol. 33b.*

10 *Anm.: Vergl. hierzu: Chronicon breve ap. Mencke, Script. Rer. Germ. III, 58 ad annum 1446.*

Obediencie promittudinem cum conamine studioso .xc. Venerabilis et reverende in Christo pater et domine graciose. Receptis litteris una cum dominorum doctorum theologie facultatis studii Erphordensis quarundam questionum per sacre theologie magistrum Hinricum Taken nomine reverendissimi in Christo patris et domini, domini  
 15 Friderici Magdeburgensis archiepiscopi eisdem oblatarum detractioe nobis missis, vidimus materiam specificie positam in eisdem que locum Welsnack respicit quasi suis in singulis posicionibus extense et forte satis perfecte, et quia, reverende pater, ob eandem materiam sic specificatam, sicuti informati sumus, venerabilis magister Io. Kune, sacre theologie professor, gravissime correptus prohibitus fuerat materiam  
 20 eandem nostris in scolis disputare, quiaque eciam quod plus movet, Romanus pontifex eandem causam reverendis in Christo patribus et dominis, dominis Conrado Havelbergensi et Iohanne Lubucensi ecclesiarum episcopis examinandam commisit per suas litteras bullatas, quarum copias vidimus in hac parte, qui quidem commissarii, prehabita informacione diligenti, dicto loco Wilsnack auctoritate apostolica liberam dederunt  
 25 facultatem atque auctoritatem, ut rector ecclesie loci prenominati unam aliam hostiam consecratam apud ipsas hostias transformatas poneret positamque renovaret et Christi fidelibus singulis anni diebus ostendere licite libereque valeat, queat atque possit auctoritate predicta iuxta tenorem cuiusdam instrumenti desuper confecti, cuius copiam eciam vidimus in hac parte, sed quia, reverende pater, causa eadem in specie per Romanum  
 30 pontificem sic ut premittitur commissa est commissariis supradictis, cogitamus licitum nobis non fore de questione ista sic specificata aliquid determinare, scripturam nobis oblatam sic ut premittitur in specie positam infirmare aut confirmare, diminuere, detraxere, laudare aut aliqua causa eam dicere vel diffinire absque apostolice sedis mandato speciali, quare rogamus humiliter atque devote p. v., quatenus p. v. nos excusatos  
 35 habeat in causa eadem quam non causa fugiendi labores quos fugere non intendimus, cum per laborem homo proficiat in gracia et reciperet remuneracionem habundanter in vita eterna, sed quia materia iuris specificie posita est et per summum pontificem dictis